BIBLIA (ISAIAS-APOCALYPSIS)

Österreich (Wien), 1455 Seite 35r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915

Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

vos et in Jerusalem consolabimini Videbitis et gaudebit cor vestrum et
ossa vestra quasi herba germinabunt / et cognoscetur manus domini
servis eius et indignabitur inimicis suis / quia ecce dominus in igne veniet
et quasi turbo quadrige eius / Reddere in indignatione furorem suum et increpa-
tionem suam in flamma ignis / quia in igne dominus diiudicat et in gladio suo ad om-
nem carnem Et multiplicabuntur interfecti a domino qui sanctificabantur
et mundos se putabant in ortis post ianuam intrinsecus Qui comedebant
carnem suillam et abhominacionem et murem simul consumentur dicit dominus
Ego autem opera eorum et cogitaciones eorum venio ut congregem cum omnibus
gentibus et linguis / et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in
eis signum et mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes in mari et in
Affrica et in Liddia tenentes sagittam In ytaliam et greciam ad insulas
longe ad eos qui non audierunt de me et non viderunt gloriam meam.
Et annunciabunt gloriam meam gentibus. Et adducent omnes fratres vestros
de cunctis gentibus donum domino in equis et in quadrigis et in lecticis
et in carrucis et in mulis ad montem sanctum meum Jerusalem hec dicit dominus. Quomodo
si inferant filii israhel munus in vase mundo in domum domini Et as-
sumam ex eis sacerdotes et levitas dicit dominus, quia sicut celi nova
et terra nova que ego facio stare coram me dicit dominus sic stabit se-
men vestrum et nomen vestrum / et erit mensis ex mense et sabbatum ex
sabbato. et veniet omnis caro ut adoret coram facie mea dicit dominus Et
egredientur et videbunt cadavera virorum qui prevaricati sunt in me Ver-
mis eorum non morietur et ignis eorum non extinguetur. et erunt usque
ad sacietatem visionis omni carni Explicit ysaias Sequitur prologus in Jeremiam.

Explicit ysaias propheta Incipit prologus beati Jeronimi presbiteri in Jeremiam prophetam

Jeremias propheta cui hic prologus scribitur sermone quidem
apud hebreos. ysaia et Osee et quibusdam aliis prophetis
videtur esse rusticior. sed sensibus par est. quippe qui eodem spiritu
prophetaverit Porro simplicitas eloquii in quo natus est loco accidit
fuit enim anathothites qui est usque hodie viculus tribus ab Jero-
solimis distans milibus Sacerdos ex sacerdotibus et ex viris
et in matris utero sanctificatus Virginitate sua evangelicam
virum Christi ecclesie dedicans hic vaticinari exorsus est puer